



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Cap. 10. Solvuntur reliqua argumenta contra genealogiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

esse sine lege, quia scilicet, in eâ ubique cœcutiunt, & iusto Dei iudicio miserè errant.

XI. Ad illud, *quando habitaverint fratres simul*, quo utitur Jansenius ut urgeat intentum suum, nec intelligitur de fratribus habitantibus in eadem domo, nec in eadem domo poterant habitare simul fratres ex eadem matre & diversis patribus: & frater qui erat ex eodem patre cum defuncto, cui oportebat semen fulcitare, non habitabat amplius in eadem domo, etenim ductâ uxore relinquebat patrem & matrem & adhærebat uxori suæ. Sed verba illa significant fratres seu propinquos qui erant in Regionibus valdè distitis à loco ubi erat vidua defuncti non fuisse adstrictos deserere suos lares ut huic legi satisfacerent, quamvis tamen possent, ut patet etiam in exemplo prædicto Booz: Non enim hic quæsit Rutham in terrâ Moab, sed debuit ipsa Ruth venire ad Booz, si vellet ipsa in se legem illam adimpleri.

XII. Nec etiam facit pro Jansenio quod urget ex eadem lege, *Vxor defuncti non nubit alteri*, pro quo Hebræa habent, *Non erit uxor defuncti foris alieno viro*. Non enim nubit foris aut viro alieno qui nubit fratri ex eadem matre geniti, aut uni è consanguineis maximè propinquioribus defuncti: hi enim omnes dicuntur ex eadem domo, cognatione, familiâ, ut constat, & succedebant in bonis propinquorum defunctorum sine hærede.

CAPUT X.

Solvuntur reliqua argumenta contra Genealogiam.

I. **P**RIMUM eruitur ex his verbis: *Salmon genuit Booz de Raab: Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Jesse: Jesse autem genuit David Regem*. Incredibile enim omninò videtur quod trecenti sex anni vel circiter in quatuor istis generationibus fuerint consumpti, ut consumptos fuisse necesse est & patet ex sequenti temporum calculo evidenti.

Nam primò, Salmon qui genuit Booz duxit Raab quando capta est Jericho: Secundò, capta est Jericho post 40. annos quibus fuerunt Hebræi in deserto ab egressu ex Ægypto statim in ipso introitu terræ promissæ. Tertio, Templum cœpit ædificari anno quadringentesimo octuagesimo ab egressu Ægypti, qui erat annus quattus Regni Salomonis, ut patet evidenter ex lib. 3. Reg. c. 6. v. 1. ex quo annorum numero tollendo quadraginta annos quibus errarunt in deserto; deinde septuaginta annos quibus vixit David, & quatuor annos Regni Salomonis, qui insimul conficiunt centum quatuordecim annos, restabunt his deceptis ex prædictis 480. annis à captâ Jerichunte & conjunctione Salmonis cum Raab, usque ad nativitatem Davidis anni trecenti sexaginta sex aut circiter, quo tanto spatio quatuor duntaxat generationes decurrerint, quod quam absurdum sit patet, quia illud spatium in dictas generationes hoc vel simili modo distribuendum erit ut Salmon sexaginta sex annis post captam Jericho & ductam Raab genuerit Booz: Booz autem nò genuerit Obed, nec Obed Jesse, nec Jesse David Regem, nisi anno vitæ suæ centenariò: quæ distributio ita necessaria est ut quod uni detraxeris alteri necessariò addere debeas, ut illum numerum 480. annorum qui certissimus est invenias.

III. Propter hoc argumentum dicunt aliqui inter quos Nicolaus de Lyra, Hugo Cardinalis in c. 1. Matth. Ambrosius, Catharinus contra Caietanum. Genebrardus in Chronologiâ in *Aod & Abesan*, Salianus tom. 2. Annal. anno mundi 2781. à num. 26. & P. Celada in c. 1. Ruth, vers. 1 § 3. à num. 2. usque ad 10. fuisse tres Boozos quorum primus fuit filius Salmonis, secundus filius primi, tertius filius secundi: qui tertius duxit Ruth ex quâ genuit Obed. Ita ut in Genealogiâ Matthæi duo Boozzi prætermittantur.

IV. Confirmatur ex Josepho lib. 5. antiq. c. 5. ubi testatur historiam Ruth contigisse tempore Heli Sacerdotis, de quo lib. 1. Reg. atque adeo totis trecentis annis & amplius post captam Jericho, ut patet supputanti tempora judi-

Judicum usque ad Heli, & colligi potest, rum ex dictis supra num. 2. ergo Salmon non potuit esse Pater immediatus illius Booz qui genuit Obed ex Ruth, nisi admittatur Booz trecentorum annorum genuisse illum quod est nimis absurdum.

V. Respondet noster Sylveira tom. 1. in Evangelia lib. 1. c. 2. quæst. 24. & alii ferè innumeri unum tantum fuisse Booz & non plures, & in illis quatuor generationibus intercurrisse illos annos vel circiter qui supra.

VI. Quod si urgeas, absurdum nimis & à veritate alienum videri quod in ætate adeò vicinâ Davidi, qualis est ætas Jesse, Obed, Booz & Salmon, Patris scilicet Avi, Abavi & Proavi, homines adeò in ætate provecti fuerint, tantarumque adhuc virium tunc esse potuerint ut generare possent, & quidem filios adeò validos qui possent fieri Patres anno centesimo vitæ suæ; & Davidi homini tantum septuagenario aut ad summum octogenario nihil nisi labor superfuerit & dolor, ut ipse David profatur psalmo 89. Et sanè id multò difficilius apparet in Salomone & Raab, quomodo scilicet fieri potuerit ut ipse ex dictâ Raab sexaginta sex annis post captam Jericho generaret Booz. Nam Raab quando Salmoni nupsit non erat in ætate valde puellari quippe quæ vel meretriciam vel cauponariam exercuerat, & adeò tanta erat, ut quo sibi suisque benè provideret maximâ industriâ exploratores Israëlitas occuluerit, & ministrorum Regionum eos ad necem quærentium sagacitatem sciverit eludere: certè et si tunc illi tantum quatuordecim annos daremus (cum ex his manifestû sit plures habuisse) qui juncti cum sexaginta sex præcedentibus constant octoginta, est ne verisimile quod Raab adeò vetula concipere potuerit Booz? Quis hoc crediderit cum Genes. c. 17. v. 17. totis quadringentis annis ante, Sara Abrahæ uxor nonagenaria, dicatur inepta ad patiendum, quippe cui muliebria jam fieri desiderant? Respondent quod dicit David psalmo citato, hoc intelligendum cum nostro Michaële à Bononiâ vulgò Incognito in Psalms & aliis, secundum communem naturæ cursum, quod non impedit

quominus plures, maximè verò Davidem qui hoc protulit fortè propheticè & pro futuro, dictum terminum exceßerint notabiliter in valetudine firmâ & vigore cum optimâ sentium & membrorum functione, cum & post ipsum & nostro etiam ævo multi tales reperiantur.

Quare censent non fuisse impossibile aut tam difficile quod illi quatuor homines eo tempore quo vita humana, sive naturâ, sive ob temperantiam longius protendebatur trecentis sexaginta sex annis residuis ex præcedenti calculo vixerint, & in quatuor generationibus illos consumpserint, quandoquidem Josue & Moyles coætanei Salmonis immensis laboribus exhaustis vixerint ille centum decem annis, Josue c. 24. v. 29. hic verò centum viginti annis, cui tamen necdum oculi caligaverant aut dentes mori erant, Deuteronomii c. 31. v. 7. quin etiam post Salmonem, Celadaj citatus num. 3. de Judicibus agens, qui Hebræorum administrarunt Republicam secundum post Josue refert Aod quem dicit administrasse octoginta annis, quod etiam colligitur ex libro Judic. c. 3. & c. 4. v. 1. Unde oportet ut hic plus centum annis vixerit; quis enim credat hunc ante vigesimum Reipublicæ admotum. Et tempore Joas Regis, idest septem vel octo generationibus post Davidem Joiada Sacerdos mortuus est cum esset 130. annorum, 2. Paralip. cap. 24. vers. 15. Ut innumeros alios taceam per omnia ab inde secuta sæcula qui notabiliter exceßerunt centesimum annum quos inter silere non possum venerandâ canitie & virtute Virum D. Antonium Haackium Sacerdotem & Pastorem Gulensem in Diocœsi nostrâ Leodiensî, ætate nostrâ qui ibidem fuit Pastor centum annis, & vixit 125. annis, qui înterrogatus quam vivendi rationem teneret quod tamdiu viveret, à tribus (respondit) totâ vitâ abstinui, ab irâ, vino, & venere. Quid impedisset quin talis cœternus generare potuisset? quid illum hoc anno 1682. quo hæc scribo adhuc vivit in Oppido Huenfî ejusdem Patriæ ac Diocœsis Leodiensî sub Parochiâ S. Catharinæ natum ibique baptizatum, qui centum

K

vigiñt.

Synopsis

Magnificat
D.
Josephus
RV
1682

viginti-quinque annos natus ferè in dies ex pago de Baaze ubi nunc degit, ad hoc idem Oppidum unâ leucâ distans pedes accedit. Plura qui volet inveniet apud Joannem à Chokier Canonicum & Vicarium Generalem Leodiensem part. 1. Facis Histor. cap. 15. & Tractat. de Senectut. cap. 6. & 26. Quid ergò mirum si illi eâ tempestate quando natura validior erat, tum ex se, tum ob majorem cultum temperantię in illâ etate ut videtur copulari, etiam naturaliter generare potuerint: in quâ etiam si necesse foret dicere illos supernaturaliter genuisse, non esset negandum, ut Sacræ Historiæ & tam evidenter Divinæ sua fides sarta recta esset.

VIII. Confirmatur ex Abrahamo Salmoni non quadringentis annis seniore: qui mortuâ Sarâ cum esset centum quadraginta annorum nupsit Cethuræ ex quâ genuit adhuc sex proles attestante Scripturâ Genes. cap. 25. v. 1. & 2.

IX. Dices, constat ex Scripturâ Abrahamum quando ex Sara centenarius genuit Isaac fuisse omnino inhabilem ad generandum, ait enim Apostolus ad Rom. cap. 4. *Non est infirmatus in fide (Abraham) nec consideravit corpus suum emortuum cum jam ferè centum annorum esset.* Ex quo concludo. Mortuum erat ex Apostolo corpus Abrahæ quando genuit Isaac ex Sara, scilicet quantum ad vim generandi: ergò dicendum si postea genuit ex Cethura, id factum quod acceptâ divinitus generandi potentiâ in eâ perseveraverit.

X. Respondeo primò, Paulum non dicere corpus Abrahæ fuisse emortuum, sed considerasse corpus suum quasi esset emortuum quantum scilicet ad vim generandi, quod scilicet ei videretur si eo usque nihil ex se germinis processerat, multò minùs in eâ effectâ etate processurum.

XI. Respondeo secundò, fuisse emortuum quantum ad vim generandi respectu Saræ ex quâ promittebatur illi filius, non verò respectu alterius junioris, ut patuit in Cethurâ, cum etiam nunc modernorum senum vis generandi nulla sit respectu senioris sæpè respectu junioris. Ita D. Augustinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 28. & lib.

Question. in Genes. quæst. 35. ubi hanc responsonem præfert præcedenti. Confirmatur ex eodem Apostolo ad Hebr. cap. 11. vers. 11. ubi sic ille: *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit etiam præter tempus etatis.* Ubi Apostolus soli Saræ asserit virtutem concipiendi fuisse divinitus tributam, secùs facturus, si utrique collata fuisset, cum ibi Apostolus prosequatur ea quæ Abraham à Deo propter eandem fidem consecutus est.

Confirmatur iterùm nostra sententia ex Aristotele lib. 7. Hist. Animal. cap. 6. ubi docet etatem 70. annorum esse adhuc aptam ad generandum, imò Plinius lib. 7. cap. 14. refert Catonem & Massinissam Regem post octogesium annum genuisse, & quories nunc videmus septuagenarios, & etiam provectiores cum uxoribus justæ etatis generare? si ergò nunc in ipso naturæ declinatio videmus tam frequentes generationes in etate ad eò provectâ, quid mirum quod illi quatuor mille annisante, quando natura erat robustior, potuerint nonagenarii vel centenarii? quandoquidem illo ævo corpora centum annorum talia erant ut possent æquiparari corporibus modernis 50. vel 60. annorum.

Dices habeat vim hæc ratio in tribus posterioribus scilicet Booz, Obed, & Jesse qui potuerunt illos qui recensentur in Genealogiâ genuisse ex uxoribus juvenibus, sed non valet in Salmonem cum Raab, quæ ex distributione annorum factâ hic supra num. 2. debuit concepisse anno 66. à captâ Jerichonte, ac consequenter plusquam octogenaria, ut patet ex dictis. Respondent ut in viris, ita & in fœminis etatem octoginta annorum illius temporis, fuisse ita validam ac est nunc quadraginta vel quinquaginta, intra quam etiam nunc & communiter videmus mulieres concipere & parere, cum etiam post illam plures visæ sint peperisse, inter quas Cornelia cujus meminit Plinius lib. 7. cap. 14. quæ Volusium Saturninum Virum Consulatu illustrem peperit post annum vitæ suæ sexagesimum, secundam.

Nec objicias Saram uxorem Abrahæ, cui (cum factâ esset nonaginta annorum

norum) observante Sacra Scriptura Genes. cap. 18. vers. 11. desierant fieri muliebria. Hoc enim omnino facit ad hoc intentum: nam quid sibi vult hoc quod Scriptura postquam monuit fuisse nonagenariam dicit quod desierant ei fieri muliebria? Procul dubio hoc indiget non ita pridem id ei accidisse, si enim diu ante ut nunc id communiter mulieribus accidisset & ipsi Sarae, certe ridiculum fuisset id obicere post tot annos ab illo tempore elapsos. Itaque ex hoc concluditur, quod tunc temporis mulieres non ita mature fiebant inhabiles ad concipiendum ut nunc, sed circum circa aetatem in qua Sarae desierant fieri muliebria. Tandem dico potuisse fieri ut illa aetate Raab supernaturaliter conciperet Booz, quamvis id Scriptura non referat, quae non semper omnia refert.

XV. Obiicit secundò, in genealogia Matthaei dicitur: Joram genuit Oziam. Sed certum est ex Scriptura Oziam fuisse filium Amaziae & ab eo genitum, ergo &c. Respondeo Joram genuisse Oziam eo sensu quo David genuit D. Josephum & Christum scilicet mediate, quia Joram primò genuit Ochoziam, Ochozias Joam, Joas Amaziam, qui genuit hunc Oziam, alio nomine dictum Azariam, quae evidentet patent ex diversis locis tum lib. 4. Reg. c. 15. tum lib. 2. Paralip. cap. 26. & ex lib. 1. Paralip. cap. 3. vers. 11. Tres itaque Reges praetermissi sunt scilicet Ochozias, Joas, & Amazias, non quod hi aliquibus aliis hic expressis fuerint peiores, cum Joas & Amazias inter illos Reges numerentur qui rectum fecerunt coram Domino, 4. Regum cap. 12. vers. 2. & cap. 14. vers. 3. Cur ergo?

XVI. Respondent D. Hilarius, D. Hieronymus, D. Paschasius, D. Thomas, Dionysius Carthus. in hunc locum, Abulens. quaest. 17. in Matth. & alii multi apud nostrum Sylveira tom. 1. in Evang. lib. 1. cap. 2. quaest. 29. ideo hos tres omissos partim quod Evangelistae certi mysterii causa propositum fuerit Genealogiam in tres Tetsarecades distribuere, partim quod Deus praedixerat Achab per Sanctum Patrem nostrum Eliam Prophetam ipsius semen delendum, atqui Joram duxerat

uxorem filiam Achab, undè filii ex ea conjunctione nati usque ad quartam generationem, non quidem morte naturali, sed civili, ex femine parentum seu progenitorum Christi ejiciuntur. Purgata verò labe familiae, inquit Divus Hilarius, in quarta generatione, consequenter origo resumitur & numeratur.

Respondet secundò, Rupertus in XVII. hunc locum, ideo hos tres Reges praetermissos quia Prophetas ac Ministros Dei variis injuriis affectos impediunt vaticinari & praedicare, patet hoc in Ochozia 2. Paralip. cap. 22. vers. 24. in Joas 2. Paralip. cap. 24. vers. 22. in Amasia 2. Paralip. c. 25. v. 16.

Obiicit tertio cum Porphyrio teste XVIII. D. Hieronymo in cap. 1. Danicis in initio, Sechoniam, de quo in fine secunda Tetsarecades Genealogiae Matthaei, & in initio tertiae non fuisse filium Josiae ut ibi dicitur, sed Joackim qui fuit filius Josiae ut patet ex 1. Paralip. cap. 3. vers. 15. & 16. Undè patet hic adhuc unam generationem fuisse praetermissam, ut propterea non sit mirum quod idem Matthaeus in secundum errorem lapsus sit, dum in fine Genealogiae recapitulans omnes generationes dicit: *Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim: à Davide usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim.* Nam in prima Tetsarecade ter decies tantum dicitur unus alterum genuisse: ergo hic una adhuc generatio effugit Evangelistam. Similiter in secunda & tertia Tetsarecade tantum vigesiessexies repetitur idem verbum *genuit*, & semel pro Christo dicitur *pro genuit, de qua natus est*, quae faciunt insimul tantum viginti septem generationes: ergo adhuc in alterutra istarum decadem deest una generatio, ut sint utrobique quatuordecim, scilicet illa Joackim ex Josia ab Evangelista omisa.

Nec si respondeas cum Jansenio XIX. Gandavensi & aliis ibi nomen *generationes* sumi pro personis generantibus & genitis satisfacies, quia etsi in prima Tetsarecade erunt quatuordecim personae, in duabus posterioribus, tamen

etiam comprehenso Christo, non erunt amplius quàm viginti septem, ut patet ex supputatione, non ergo quatuordecim ubique.

XX. Respondeo itaque in primâ Tessarecade si de personis generantibus & genitis intelligantur generationes quas enumerat Matthæus, nulla est difficultas, sunt ibi quatuordecim personæ: quod si de ipsâ generatione sermo sit, nec video adhuc ibi magnam difficultatem, potest quippe rectè subintelligi Abrahami generatio; esto enim non dicatur ab alio genitus ut alii, quia tamen de facto & ipse genitus est sicut & illi qui ab eo dicuntur geniti, stat & ipse pro tuâ generatione, & sic optimè ab Abraham inclusivè usque ad David etiam inclusivè, sunt quatuordecim generationes quia quatuordecim geniti.

XXI. Restat itaque tota difficultas pro duabus Tessarecadibus seu quaterdecim posterioribus, in quibus seu personas generantes & genitas accipias incipièdo ab eo qui sequitur illum in quo desisti in primâ Tessarecade, idest à Salomone, sive generationes per verbum genuit, & per *to de quâ natus est expressas*, non inveniunt nisi viginti-sex generationes, vel viginti-septem personas, & sic non bis quatuordecim quæ certum est conficere viginti-octo.

XXII. Ad hoc argumentum respondet Maldonatus in cap. 1. Matthæi ad illa verba, *Iosias autem genuit Iechoniam & fratres ejus in transmigracione Babylonis*, quod Iosias non Iechoniam, sed Iechoniæ Patrem genuerit, scilicet Joakim, ut notavimus hic num. 18. ex 1. Paralip. cap. 3. vers. 15. & 16. Deindè quod Joakim nullibi in Sacris Litteris inveniatur dictus Iechonias, quemadmodum filius ejus. Ex quibus infert Maldonatus quod scilicet una generatio (non de industriâ) prætermissa sit hic ut diximus argumento præcedenti de Ochoziâ, Joas & Amasia, id enim inquit Maldonatus (& rectè) non potest dici (cùm Matthæus recapitulando generationes dicat esse quatuordecim) sed culpâ Scriptorum exciderit: undè consequenter censet hunc locum sic restituendum. *Iosias autem genuit Joakim & fratres ejus in transmigracione*

Babylonis, & post transmigracionem Babylonis Joakim genuit Iechoniam, Iechonias autem genuit Salathiel. Atque ita Fabrum Stapulensem affirmantem se legisse in antiquo Codice Græco, citat idem Maldonatus.

Verùm hæc sententia præter quàm **XXIII.** quod singularis est, & illius tantum Authoris quod sciam, nullo modo mihi videtur toleranda: Cùm enim Matthæus eo sine videatur recensitas generationes in tres summas seu Tessarecades redegisse, ut hac ratione caveret, ne quis generationis Christi seriem à se descriptam vel addendo vel detrahendo corrumpere possit, ut volunt Interpretes, aut saltem ex illâ summatione statim & facilè additio vel detractio, si quæ facta fuisset, possit deprehendi; undè quæso factum est quod hæc Scriptorum culpa quæ tùm ex autographo, tùm ex citato loco 1. Paralip. cap. 3. vers. 15. & 16. detegere poterat, non fuerit castigata ex mente Matthæi? Certè si locus tam manifestè corruptus admittatur, adhibita licet tantâ ne id eveniret à Matthæo cautela, & non restitutus, facilè pro suo quisque arbitrio tales corruptelas alibi ubi non fuit adhibita tam expressa cautela irrepsisse fingere poterit, ut quodcumque libuerit statuere possit.

Respondent alii nihil excidisse, nec **XXIV.** etiam obitare quod Iechonias qui est in fine secundæ Tessaredecadis, & in initio tertiæ sit una & eadem persona, ut sint verè duæ Tessaredecades. Nam quemadmodum in ædificio lapis angularis qui duos parietes connectit, unus est, & tamen ad utrumque pertinet parietem, ita etiam Iechonias iste qui est in confinio utriusque posterioris Tessaredecadis unus est, & tamen ad utramque pertinet Tessaredecadem: propter quod non dixit Matthæus illas tres Tessaredecades in simul efficere quadraginta duas generationes, dicturus procul dubio si voluisset illas quaterdecenas esse omninò distinctas. Ita D. Augustinus lib. 2. de Consens. Evangelist. cap. 4. ubi sic ille. *Cùm quaterdecenas tribus distinxisset articulis, dicens ab Abraham usque ad David generationes esse quatuordecim, & à David usque ad transmigracionem Babylonis*

Babylonis alias quatuordecim, totidemq. alias usque ad Nativitatem Christi, non tamen eas duxit in summam, ut diceret sunt omnes quadraginta due, unus quippe in illis Progenitoribus bis numeratur, idest Jechonias, à quo facta est quadam in extraneas Gentes deflexio quando in Babylonem jam transmigratum est: ubi autem ordo à rectitudine flectitur, atque ut eat in diversum tanquam angulum facit, illud quod in angulo est bis numeratur, in fine scilicet prioris ordinis & in capite ipsius deflexionis: Et hoc ipsum jam præfigurabat Christum à Circumcisione ad præputium, tanquam ab Ierusalem ad Babylonem quodammodo migraturum, & hinc atque hinc utrisque in se credentibus tanquam lapidem angularem futurum. Hac tunc in figurâ præparabat Deus rebus in veritate venturis. Nam & ipse Jechonias, ubi angulus iste præfiguratus est, interpretatur præparatio Dei. Sic ergo jam non quadraginta due que faciunt ter quatuordecim, sed propter unum bis numeratum quadraginta una generationes fiunt, si & ipsum Christum annumeremus qui huic regenda vite nostra temporali atque terrene tanquam numero quadragenario regulariter præsidet. Hæc D. Augustinus.

XXV. Sed cum reverentiâ tanti Doctoris dixerim mylicam hanc responsonem non satisfacere propositæ difficultati. Instari enim potest, dicere secundam & tertiam Tesseradecadem esse duas, sed non omninò condistinctas, est dare manum Porphyrio objicienti, & fateri revera non esse in utraque posteriore Tesseradecade quatuordecim generationes ut numerat Matthæus. Nec fuisse necesse ad hoc ut illas significaret condistinctas, quod diceret illas insimul efficere quadraginta duas, cum tam clarum sit ter quatuordecim facere quadraginta duo, quàm clarum est ter duo facere sex. Deinde Jechonias non aliter ponitur bis, aut numeratur bis, & in fine secundæ Tesseradecadis, & in initio tertiæ, quam ut genitus ac deinde generans, atqui alii in eadem genealogiâ eodem modo ponuntur ut geniti & generantes, quâ ratione ergo Jechonias faceret duas generationes potius quàm alii? deniq; sicut Jechonias facit angulum, ut sit in fine secundæ & in capite tertiæ Tesseradecadis, sic Da-

vid est in fine primæ & in capite secundæ, ergo si Jechonias in suo angulo facit aut stat pro duabus generationibus, ita & David faciet duas in suo: Atque adeò erunt quadraginta tres, non ergo faciet tres Tesseradecades seu Quaterdenas simpliciter. Itafere noster Guido Perpinianus in Evangelia ad illa verba Matthæi, Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, &c.

Tertia vera Responso est quod Jechonias qui est in fine secundæ Quaterdenæ sit alius ab illo qui est initio tertiæ. Nam Jechonias qui est in fine secundæ dicitur genitus à Josiâ & habuisse fratres, at Jechonias qui est in initio tertiæ & dicitur genuisse Salathiel, non fuit genitus à Josiâ, sed à Joakim nec habuit plures fratres sed unum tantum scilicet Sedeciam, patent hæc ex lib. 1. Paralip. c. 3. v. 15. ubi sic habetur: Filii autem Josiæ fuerunt primogenitus Iohanam, secundus Ioakim, tertius Sedecias, quartus Sellum & v. 16. de Ioakim natus est Jechonias & Sedecias: v. 17. filii Jechoniae fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, &c. ergo non sunt illi unus Jechonias, sed duo: ita D. Hieronymus, D. Ambrosius, lib. 3. in Luc. D. Thomas, Dionys. Carthusianus, Hugo Cardinalis, Abulensis, & noster Sylveira.

Quod quidem sic ab illis explicatur, quia Jechoniam qui genuit Salathiel, initio tertiæ Tesseradecadis, habemus patenter in loco mox citato lib. 1. Paralip. estque alius ab eo quem genuit Josias in fine secundæ Tesseradecadis, quod patet quia hic genitus est à Joakim filio secundo Josiæ; qui Joakim inquit, fuit etiam dictus Jechonias, seu quod fuerit binominis, ut vult etiam D. Epiphanius lib. 1. de hæresib. & alii, seu quod *Ioakim* vel *Ioachim* idem sonet quod Jechonias ut vult noster Thomas Beauxamis ex Chronico Hebræorum quod *Seder Olim Zutha*, dicitur.

Verum non placet hic modus explicandi hanc sententiam, tum quia nusquam in Scriptura legitur Ioakim filius Josiæ dictus Jechonias, cum etiam ille idem Ioakim 4. Reg. c. 23. v. 34. legatur dictus Eliacim, quare si etiam dictus fuisset Jechonias non æquè reperiretur alicubi? cum ergo ex nullo loco possit

desumi id quod hic dicitur, ut nimis gratis dictum rejicitur, tum quia si Iechonias iste in fine secundæ Tessaradecadis fuisset Ioakim, non apparet, quare Matthæus hoc nomen cognitum reliquisset, & usus fuisset nomine quod usque ad ipsum nullibi reperitur.

XXIX. Quare dico Iechoniam primo loco nominatam in fine secundæ Tessaradecadis fuisse Sellum qui 1. Paralip. c. 3. hic supra n. 26. citato ponitur quartus filius Iosæ, probatur quia tres posteriores filii Iosæ Regnum administrarunt post Patrem, (nam primogenitus Iohanam videtur esse mortuus ante Patrem) scilicet Ioachaz, Eliacim & Mathanias, 4. Reg. c. 23. & c. 24. & 2. Paralip. c. 36, at ex Ieremiæ c. 22. v. 11. Sellum filius Iosæ regnavit pro patre suo ergo est unum ex his tribus, non Eliacim quia hic fuit Ioakim 4. Reg. c. 23. v. 34. nec etiam Mathanias quia hic fuit Sedecias 4. Reg. c. 24. v. 17. ergo est Ioachaz, & ita etiam censet D. Hieronymus in tradit. Hebraic. super Paralip. Tunc sic sed ille Ioachaz qui est Sellum dicitur Esdræ c. 1. v. 34. Iechonias, quia illa quæ dicuntur de Ioachaz 4. Reg. c. 23. & 2. Paralip. c. 36. & quæ prædicuntur, de Sellum Ierem. c. 22. sunt eadem omnino cum illis quæ dicuntur de illo Iechonia, apud Esdræ lib. 3. c. 1. v. 34. mox citato, ergo iste Sellum qui est Ioachaz dicitur etiam Iechonias, & sic habemus duos Iechonias: primum hunc Sellum filium Iosæ quartum, Paralip. c. 3. v. 15. qui in fine secundæ Tessaradecadis: secundum filium Ioakim, qui in initio Tessaradecadis tertiæ genuit Salathielem.

XXX. Dices primò, hoc non potest esse quia Sellum 1. Paralipom. cap. 3. v. 15. numeratur quartus filius Iosæ; Ioachaz verò (quem dicimus esse hunc Sellum) 4. Regum cap. 23. vers. 21. sufficitur patri in Regnum ante alios uti primus post Iohanam, qui supponitur probabiliter mortuus ante patrem, cum de eo nusquam amplius fiat mentio.

XXXI. Respondeo, manifestè constat in hac suffocatione Joachazi in locum patris sui violatum fuisse ordinem ex modo loquendi Scripturæ lib. 4. Reg. cap. 23. mox ibi vers. 33. dicitur, *Tulitq; populus*

terræ Ioachaz filium Iosæ, & unxerunt eum, & constituerunt eum in Regem. Si enim hic naturalis ordo servatus fuisset non diceret hoc Scriptura, sed his vel similibus verbis usa fuisset, *Regnavitq; Ioachaz filius eius pro eo.* Factus utique populus tunc morum perditissimorum, omnium Regis defuncti filiorum perditissimum ipsi subrogant: quare post tres menses à Pharaone Neco turbatus est, & Regnum restitutum Eliacimo aliàs Joakimo filio Iosæ secundo cui debebatur, mortuo primogenito. Et ideo etiam notatur hic Eliacim sive Joakim fuisse 25. annorum cum Joachaz turbatus esset tantum 23. annorum.

Dices secundò, hoc Eliacim sive XXXII Joakimo mortuo post undecim annos Regni Mathanias, qui & Sedecias, illi successit post mortem filii eius, qui Mathanias seu Sedecias fuit frater istius Eliacim, cum ibi dicatur patruus filii eius 4. Regum cap. 24. vers. 17. Et vers. 18. dicitur habuisse tunc solum 21. annos. Ergo si ex his detrahas undecim annos quibus regnavit iste Eliacim, sive Joakim, & tres menses Regni Joachim huius filii, restat ut Mathanias habuerit tantum novem annos & sex menses quando Joachaz sive Sellum turbatum à Pharaone Neco constituit populus Regem: sed tunc temporis hic Ioachaz erat viginti trium annorum, 4. Regum. cap. 24. vers. 31. Non potest ergò Mathanias aliàs Sedecias fuisse tertius filius Iosæ, & Ioachaz sive Sellum quartus ut dicitur 1. Paralipomen. cap. 3. vers. 15. Aut non est verum Sellum & Ioachaz esse unum & eundem.

Propter hoc argumentum: cum vera sint ex locis citatis quæ de duobus XXXIII diximus Iechoniis, & Scriptura non possit non esse vera: omnino dicendum videtur quod lib. 1. Paralip. cap. 3. dum recensendo filios Iosæ dicit vers. 15. *Filii autem Iosæ fuerunt primogenitus Iohanam, secundus Ioachaz, tertius Sedecias, quartus Sellum,* non teneat quoad tres posteriores ordinem nativitatis, sed successione in Regno Patris: Nam cum Sellum ordine nativitatis tertius injustè intrusus à populo, post tres menses turbatus sit, non amplius ad illud

illud rediturus : ideo in hoc ordine post Iohanam primogenitum secundus est Ioakim , tertius Mathanias seu Sedecias , quartus & ultimus hic Sellum : ut qui iura primogenituræ fratri suo Ioakimo auferre tentaverat , perderet respectu Mathanias sive Sedecia : scriptum est enim *Omnis qui se exaltat humiliabitur*. Qui potest etiam in prærogativâ nativitatibus Mathanias seu Sedecia , dici postpositus propter majorem nequitiam , propter quam majorem Dei sensit iram , ut constat ex locis citatis.

XXXIV Dicestertio , si ille Sellum sive Ioachaz sit iste qui lib. 3. Efdra cap. 1. versu 34. dicitur Iechonias , non fuit junior fratre suo Ioakim , sed e contra : Probat , nam Ioakim quando suffectus est à Pharaone in locum fratris sui Ioachaz quem dicimus Iechoniam , erat tantum 25. annorum , ut patet ex 4. Regum cap. 23. vers. 36. Hic verò Iechonias apud Efdram lib. 3. cap. 1. v. 34. erat annorum 33. Respondeo , manifestum est Ioachaz qui lib. 4. Reg. cap. 23. vers. 30. 31. 32. 33. & aliis sequentibus & antecedentibus esse eundem cum Iechonia lib. 3. Efdra cap. 1. vers. 34. 35. 36. &c. quia eadem omnino sunt illa quæ dicuntur de Iechonia hic cum illis quæ illic dicuntur de Ioachaz. Cum ergo Iechonias dicatur ab Efdra 33. annorum cum regnare coepit , Ioachaz verò à libro 4. Regum 23. annorum tantum , manifestum est hinc Efdram lapsum esse , qui lapsus est facilis , cum 33. ponantur pro 23. atque adeò cum hic liber Efdra non sit Canonicus , licet maximæ autoritatis , corrigendus est per 4. librum Regum Canonicum.

XXXV. Dices quartò per hunc primum Iechoniam aliàs Sellum non currunt generationes usque ad Christum , quia hic primus Iechonias non genuit secundum , qui est Pater Salathielis , sed frater ejus Ioakim , qui non exprimitur in Genealogiâ. Respondeo , licet non currant per primum Iechoniam eurrunt à Iosia Patre per Ioakim fratrem ejus ad secundum Iechoniam Patrem Salathielis : nec refert quod Ioakim non exprimitur ex nomine in Genealogiâ , exprimitur enim sufficien-

ter per has particulas , *Iosias autem genuit Iechoniam & fratres ejus* , in quibus fratribus est iste Ioakim. quod scrutanti parùm in Scripturis obviu esse potuit , nam ex toties citato lib. 1. Paralipom. c. 3. v. 15. patet hunc Ioakim esse fratrem Sellum , qui lib. 3. Efdra c. 1. v. 34. dicitur Iechonias , & est Pater secundi Iechonia qui genuit Salathiellem. Nec fuit necesse quod Evangelista majori uteretur expressione pro habendâ consecutione generationum ab Abrahamo usque ad Christum , noluit enim Deus suas Scripturas esse ita claras , ut nihil relinqueretur studio Doctorum.

Sive ergo generationes quæ sunt XXXVI. apud Matthæum accipiamus pro actione ipsa generandi , sive pro personis generantibus & genitis : res secundum jam dicta clara est de personis ex supputatione illarum : de actione etiam generandi , cum enim sub hæc clausulâ *genuit Iechoniam & fratres ejus* , comprehendatur Ioakim qui fuit Pater secundi Iechonia , ac deinde exprimitur persona à dicto Ioakim genita , scilicet secundus Iechonias qui genuit Salathiellem , proculdubio subintelligitur generatio per quam & hic est genitus & ille generans , atque ita omnimodè interveniunt summæ ad quas Matthæus redigit omnes generationes , scilicet Tessaradecades seu Quaterdena , quæ in simul conficiunt quadraginta duas.

Porro ideo videtur non expressus in Genealogiâ Ioakim ex nomine , ob specialem illius malitiam , quæ notatur 3. Reg. c. 24. Nam de aliis Regibus improbis dicitur fecit malum coram Domino juxta omnia quæ fecerant Patres ejus : At de Sedecia filio hujus Ioakim dicitur 1. 3. Regum cap. 24. v. 19. *Fecit malum coram Domino juxta omnia quæ fecerat Ioakim pater ejus* , quibus verbis denotatur specialis malitia Ioakim , ob quam meruit ex Genealogiâ expungi : secundò , Pater ejus Iosias 4. Reg. 22. cum audisset librum legis , perterritus scidit vestimenta sua & fudit lacrymas : ille è contra librum Ieremia Prophetæ scidit scalpello Scribæ , & projecit in ignem donec consumaretur , Ierem. c. 36. v. 23. Credo ergo cum ille voluerit perdere librum Dei , ideo non

Synopsis

Magnifici
D.
Iosephi
SV
an

meruisse habere locum in libro Genealogiæ Christi.

XXXVIII Quæres quomodo dicatur Iosias genuisse Iechoniam, & fratres ejus in transmigracione Babylonis, cum certum sit Iosiam nusquam adductum fuisse in Babylonem? Similiter quomodo verum est quod post transmigracionem Babylonis Iechonias genuit Salathiel, quando quidem certum sit non tantum Salathielem in ipsa Babylone genitum, sed etiam hunc ibidem genuisse Zorobabilem, qui fuit primus Dux Iudæorum quando de illa captivitate liberati sunt. Respondeo ad primum id intelligendum non quod Iosias in captivitate illa eos genuerit, sed quod ea imminente, ita ut in transmigracione significet sub transmigracionem. Cui explicacioni consentit versio Græca quæ habet. *Epi tis metoikestias*. Non enim diu post transmigratio illa contigit, in quâ omnes filii Iosia in Babylonem abducti sunt. Ad secundum respondeo, ibi post transmigracionem non significare tempus ab elapsâ transmigracione, sed quod non ante transmigracionem quod verum est, nam Iechonias non genuit Salathiel antequam transmigrarent, sed durante ipsa transmigracione.

XXXIX Objicies quartò de Iechonia secundo dicitur Ieremiæ c. 22. v. 30. *Scribe virum istum sterilem qui in diebus suis non prosperabitur, nec erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David & potestatem habeat ultra in Iuda*. Fallitur ergo Matthæus & fallit, qui facit Genealogiam currere per ipsum à Salathiele ad Zorobabilem & ab hoc ad reliquos usque ad Christum. Respondent communiter Doctores Iechoniam à Propheta non dici sterilem propterea quod non esset habiturus liberos, cum habuisse dicat idem Propheta ibidem v. 28. & ex 1. Paralip. cap. 3. vers. 17. constet habuisse octo filios qui ibi recensentur ex nomine, sed quod nullus ex illis Patri in regno esset successurus, atque adeò quod attinet ad Regni successorem perinde fuit ac si sterilis fuisset. Patet explicatio illa ex ipso textu, postquam enim pronuntiavit Propheta Iechoniam sterilem subdit, *Nec erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Iuda*.

Ubi supponit semen, sed semen *inglorium*.

Instabis, Zorobabel quem genuit Salathiel filius istius Iechonia, habuit potestatem in Iuda, liberavit enim & reduxit populum de captivitate & habuit potestatem in illos. Respondent primò, aliqui Prophetiam istam non esse de genere illarum quæ dicuntur predestinationis & absolutæ, seu omninò quidquid eveniat implendæ: sed de genere conditionalium, quales sunt multæ in Scriptura continentur Dei promissiones aut comminationes, quæ non sunt simpliciter implendæ, sed sub conditione; quæ si absit non fortiuntur exitum: significat igitur, inquit, hæc Propheta nullum futurum de semine Iechonia qui sedeat super solium David & potestatem habeat ultra in Iuda, si fuerint Patri similes in peccatis, & ideò Zorobabel qui fuit vir justus & probus ejus nepos seu filius filii, potestatem recuperavit in Judâ, neque enim filius portabit iniquitatem Patris. Ita noster Sylveira tom. 1. in Evang. lib. 1. c. 2. quæst. 33. n. 94. & alii.

Respondent alii secundò, illam Prophetiam intelligi de filiis immediatis, ex quibus verum est nullum habuisse potestatem in Judâ, non de mediatis, quandoquidem Zorobabel primus mediatas habuerit. XLI.

Respondent alii tertio, potestatem intelligi de potestate Regiâ, talem autem non habuisse Zorobabel, qui fuit tantum Dux populi & cujus jurisdictio fuit dependens à Cyro: Licet verò contra hanc responsionem dicas de Christo qui de semine ejus descendit dici per Angelum Luc. cap. 1. vers. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum*. Respondent aliqui Regnum Christi non fuisse temporale, dici tamen dedisse Regnum Davidis quod fuit temporale, quia dedit illi Regnum in Israëlitas spirituale significatum per Regnum Davidis. Respondent alii secundò, Christum non comprehendi sub hac prophetiâ eò quod Propheta dicat, *Non erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David*. *Etc.* id est, inquit Glossa interlinearis *vir tantum*, Christus enim fuit Deus. XLII.

Respon-

XLIII. Respondent tandem alii, cum certum sit & indubitatum Regnum temporale Davidis à lineâ Salomonis propter peccata eorum ad lineam & posteros Nathan transferendum, & consequenter Regnum spirituale Christi in quod illud mutatum est, colligi ex hac prædictione Ieremiæ translationem illam ab hoc Iechoniâ incœpisse, & ideò Zorobabelem filium Salathielis probum illum & iustum populi sui liberatorem & reducem, non fuisse illum qui apud Matthæum ex Iechonia, sed Zorobabelem filium alterius Salathielis, qui ex Neri apud Lucam.

XLIV. Objicies quintò & ultimò, dicitur *Zorobabel autem genuit Abiud*: hoc autem videtur fallum; nam hic Zorobabel 1. Paralip. cap. 3. legitur habuisse proles Mosollam, Hananiam & Salomith sororem eorum. Deinde ex aliâ uxore, Hasaban, & Ohol, & Barachian, & Hasadiam, & Josabhesed. Abiudis autem nulla fit mentio. Respondet nos Thomas Beauxamis, vel Abiud adinstar multorum aliorum fuisse binominem, vel non omnes Zorobabelis filios expressos citato loco Paralipom. quodque Matthæus divinâ ratione aut arcanâ traditione intellexerit ac didicerit hunc etiam fuisse Zorobabelis filium è quo Joseph, è quo Maria, è quo Christus originem traxerint.

XLV. Respondeo ego Zorobabelem qui 1. Paralip. cap. 3. 19. genuit Mosollam, Hananiam, &c. non esse filium Salathielis, sed filium Phadaja: loquitur autem Matthæus de Zorobabele filio Salathielis. Unde non mirum si alius sit filius unius Zorobabelis filii Salathielis, & alii alterius Zorobabelis filii Phadajæ.

LXVI. Dices, hæc responsio difficultatem non solvit, sed fugit: Nam constat ex lib. 1. Paralip. cap. 3. vers. 19. Zorobabelem non esse filium Salathielis ut dicit Matthæus, sed filium Phadajæ, & ideò non est etiam verum quod genuerit Abiud ut dicit Matthæus, sed eos quos recenset dictus locus lib. 1. Paralip. Propter hanc rationem dicunt aliqui Zorobabelem fuisse filium carnalem Phadajæ, legalem verò Salathielis: sed hæc responsio non placet, quia verbum *genuit* quo utitur Matthæus di-

cens, *Salathiel autem genuit Zorobabel*, cum propriè significet generationem, non debet sumi pro legali filiatione: quare inhærendo sententiæ nostræ respondeo, cum Zorobabelis (cujus meminit Matthæus) Pater sit alius ab eo de quo loquitur dictus locus Paralip. & aliæ utriusque proles, quia Zorobabel Salathielis qui apud Matthæum genuit Abiud: Zorobabel autem Phadajæ qui apud librum Paralipomenon genuit Mosollam & ceteros, & non ex his sed ex illis currant diversæ generationes, ut patet ex Matthæo, & dicto libro Paralipomenon; ideò evidenter manifestum est præter Zorobabelem magnum illius populi è Babylone Reducem qui genuit Resa, de quo Lucas in suâ Genealogiâ, fuisse adhuc alios duos Zorobabes, illum scilicet de quo Matthæus qui genuit Abiud, & illum de quo liber 1. Paralipomenon cap. 3. vers. 19. qui fuit filius Phadajæ & genuit Mosollam, Hananiam, &c.

Instabis unde habet Matthæus istum XLVII. suum Zorobabelem: unde ipsum genuisse Abiud? unde Abiud genuisse Eliacim, & sic de ceteris ab hoc usque ad Joseph Virum Mariæ, cum nulla extet Scriptura in horum fidem? Nam quoad Canonicas illud nimis certum est: quoad alias verò illas maximè quæ Tribuum Judæ & Levi successiones continebant ab Herode crematæ sunt, ut patet ex Josepho de Antiquitatibus Judaicis, & Julio Africano à nobis cap. 8. num. 16. adducto.

Respondeo, nihil mirum si de illis XLVIII. generationibus in Scripturis Canonicis veteris Testamenti nihil habeatur, quia Scripturæ illæ, præcipuè verò quæ Historicae sunt, exceptis fortè Machabæorum libris, sunt ante istas generationes: præterquam quod Scriptura non omnium Genealogias prosequitur, sed valdè paucorum. Quoad alias verò Scripturas respondeo ab Herode non nisi illas quæ erant publicæ potuisse cremari. Cæterum fuisse nonnullos particulares Antiquitatis replicandæ studiosos, ut ait Africanus, qui nomina avitæ Stirpis, vel tenentes memoria, vel ex scriptis Annalibus promentes privatim sibi eorum indices confecerant: magnopereque propterea gloriantur.

riabantur quod ipsorum Nobilitas ita foret ad posteritatem reservata. Potuit ergo Matthæus ex huiusmodi memorijs privatis, vel indicibus ex scripturis publicis desumptis, vel ex arcanâ aliquâ Traditione accedente maximè Divinâ revelatione has omnes generationes collegisse, ut Divus Lucas suas.

XLIX. Hanc disceptationem prolixam quidem non tamen inutilem, ut ex dictis & ampliùs ex dicendis in hoc fundatis constat, finio ipsi verbis Sancti Patris Ambrosii lib. 3. in Lucam, *Hæc tibi Frater de Generatione Christi non incognita putavi prolixius prosequenda: ne quis cum illam Evangelij minus attento animo recenseret, aliquatenus fluctuaret, quæ Sancti Evangeliste ad majora miracula, & diviniora Domini gesta properantes perstringenda brevius, quàm diffundenda uberius putaverunt: Eorum igitur more qui satis putant ignavis viarum quasi notas quasdam itineris & semitas demonstrare, spiritualis via semitas colligentes, videro utrum secundo veritatis eventum, certè religioso fidei ductu in mysteriorum secreta contendimus, verentes ne quis ista cum legerit, quod proverbialiter dicitur, quasi puer Macheram, tractare per infantiam fortiora arma nesciret, magisq. vulnus ex imprudentiâ, quàm salutem ex lectione sentiret. Infirmos enim telâ suâ vulnerant; nec potest benè uti armis qui ea ferre non noverit. Et idè circa fidem vir perfectus exigitur, in quo non per humum scientiâ reptet infantia, non debilis quædam, nec carens sensibus mystica cognitionis titubet ætas, quæ virtute juventutis amissâ, coronam gloriosi certaminis non requirat, & senescentis aquilæ modo, quæ prius aut leporem capere pedibus consueverat aut anserem, ævo fessâ, minorum avium fœtus implumes requirat, qui solèdiorem cibum afferre non possint.*

CAPUT XI.

Cur Divus Matthæus & Lucas non per Mariam, sed per D. Josephum Christi Domini Genealogiam subduxerint?



UOTES de hærede queritur, ut cujus sit rei possessio appareat, edunt illi qui sibi jus vendicare prætendunt origines generationum suarum, ex quibus cum appareat successio secundum carnem, appareat etiam successio ad jurâ & hæreditatem.

Hanc legem antiquissimus Ecclesiæ Doctor Tertullianus lib. de Præscript. premit contra Marcionem & alios sui ævi hæreticos, ut eos à Fidei veræ, veræque Ecclesiæ possessione excludat. Ad quos ipse ita: *Qui estis vos? & undè venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo Marcion jure sylvam meam cadis? quâ licentiâ Valentine fontes meos transvertis? quâ potestate Apelles limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo. Hæc meas origines firmas ab ipsis authoribus quorum sunt res. Et hoc utique jure capite sequenti Christus Dominus erit per D. Josephum Regni Davidici ex successione legitima verus ac necessarius hæres. Hæc etiam viâ Matthæus IESUM vult probare Messiam, ipsius dico generationem prosequendo: non quod à Progenitoribus suis ex quibus secundum carnem homo natus est, hæreditatem Ecclesiæ, vel Messia nomen, vel rem & auctoritatem acceperit, sed quod à Deo per Sanctos Prophetas ex illorum progenie nasciturus repromissus sit.*

Itaque Matthæus describens Genealogiam seu seriem Progenitorum Christi juxta Euthymium in Mathæum, Auditorum mentes erigit ad promissionum memoriam: Olim enim promiserat Deus inter cæteros Abrahamæ & Davidi Christum ex eorum semine nasciturum: cum autem Auditores essent Judæi, noverant illas promissiones & ad illas attendebant, nec unquam Christo